



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 52. de affectu fidei

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

ritus Sancti pronunciatum Patientia opus perfectum habet quâ solâ possidere possumus animas nostras. Verum cum virtutes præcipuæ alias ferè omnes complectantur, hîc infra habes earum breve exercitium, ut quoties in meditatione aliquod ejus motivum occurrat, illud etiam usui esse queat, ut altius illius virtutis affectus in animo radiceatur. Si longius desideres, id ex ipsarum loco proprio petendum erit.

CAPVT LII.

De affectu viva Fidei & modo eum exercendi.

Hic quanti sit, apparet, cum sit substantia rerum *Hebr. ix.* credendarum argumentum non apparentium. Continet hoc 1. pium affectum erga Deum, & æternam veritatem, quo quis ei ubique præsentem, corde affectitur, & adhæret, eumque adorat.

2. Humilitatem, quo rejectis argumentis contrariis captivamus intellectum in quo obsequium Christi & Dei, non tantum in uno, sed in omnibus quæ credenda sunt. *2. Cor. ii.*

3. Constantiam, quâ & si blandiatur mundus, aut premat, nos toto corde veritati adhæremus iis, quæ præcepti, & consilii nobis ab optimo Domino nostro proponitur. *Vii Martyres fecerunt.*

4. Argumenta probabilitatis valdè juvat expendere, cum ad hoc signatum sit super nos lumen vultus Domini nostri.

5. Nota utilissimum esse in omni Oratione fidem vivificare, & juxta illam operari, & sancta concipere desideria.

Exercitium Fidei brevius.

CREDO tibi, ô veritas, ô bonitas, & hîc, & ubique mihi *Rom. 15.* presentissima, & hæc, & quacumque scripta, facta & à te *Iacob. 2.* dicta sunt, ad meam esse instructionem, & certissima esse profiteor *opere* coram curiâ tuâ, neque esse quod excusem, nisi credam illa, &

Dei man-
data credi-
bilia.

Contriitio.

Resigna-
tio.

opere id ostendam per gratiam tuam. Tu potentissimus, & sapientissimus, & optimus, & ego non credam tibi? & hac testimonia voluntatis tua non amplectar: vere credibilia mihi, & amabilia facta sunt nimis. Sive rationem N. & Sapientes N. sive rerum naturam inspiciam, & audiam. Utinam te audissem semper, & omne bonum, & numquam te offendissem. Utinam vita mea te honorassem, & ex patientia mea ostendissem fidem meam, verum ex nunc in aeternum credam, & diligam te opere, & veritate N. Fac de me quod tibi visum in aeternum. & ego gratia tua quam scivero voluntatem tuam faciam ex intimo tui amore, & quaecumque revelasti pro salute mea amplectar, & omnes voluntates tuas & vita mea, & omne bonum. Amen.

Exercitium viva Fidei initio. Orationis & quoties ejus occasio in Meditatione occurrit.

Fidei bea-
tudo.

VERANE sunt hac N. verane Deus meus te esse hic & ubique adesse mihi? & hac N. ita se habere coram te, & sic huius invitari me abs te, ut serviam tibi, & amem te: an ita afficior ac si vera essent, & ideo omnia creata despicio, & te unum amo? & mandata ac consilia tua? O utinam! an ita loquor tibi & tibi N. an ita operor hic & nunc? scio tamen cheu miser, vera & certa magis quam esse me, & vivere, & hac pertinere ad aeternitatem, & ob amorem majestatis tuae, ob qua vivo, & spero, quem tota mente concupisco.

Psal 18.
Mirabilia
sunt Dei
opera, sed
tamen cre-
dibilia.

Quid sit
fides.

Mirabilia quidem opera & iudicia tua Domine, sed vera, & justificata in semetipsa, & testimonia tua credibilia facta sunt nimis sapienti, & timenti te, vir enim insipiens non cognoscit, & stultus non intelliget hac; nimis enim profunda facta sunt cogitationes tuae. captivo itaque intellectum meum in obsequium fidei, ut hoc N. credam, & amanter credam, quamvis forte non videam, neque intelligam: fides enim est credere quod non vides, neque habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum; credo itaque hoc quia tu Deus sapientia aeterna, infallibilis veritas, sic dicis, sic suades, credo uti & omnia mysteria
vita

via tua, & quæ cuique per Ecclesiam proposita sunt: omnes enim via tua veritas ô Deus meus & omne bonum meum, imò tu mihi esse dignaris via & veritas, & vita. Itaque propter te, & ex amore tuo, & reverentiâ quam debeo tibi ô veritas, quæ dignata es revelare, & ubique esse te, & hæc N. vera esse ita firmiter hoc N. & alia credo coram te, & curiâ tuâ, ut quamvis Angelus de celo aliud euangelizaret, anathema foret mihi propter te ô veritas, ô charitas Deus meus. Iam verò si omnes mundi sapientes in hoc N. vel alius aliter sentirent, magis anathema mihi forent.

Verùm si rectè iudicemus, testimonia tua credibilia facta sunt nimis, tu enim omnipotens, & summè sapiens, & summè bonus, quid ergò non credibile est verè timenti, & amanti te: verùm non sæculi filii quorum sapientia animalis, & diabolica, & stultitia apud te est. Quamvis ergo contrarium iudicaret mens mea, imò & si viderem oculis meis & manibus palpare viderer, attamen crederem tibi, illudere equidem sensibus meis potest falsinatio creature, tu fallere non vis, neque potes ô infinita bonitas, imò etsi id quod credo videre possem v.g. in venerabili Sacramento, nollem cum Divo Ludovico: certior enim fides, quàm fallax oculus meus, & experientia mea. Denique si pro hæc veritate de tui amore cum martyribus, supplicia, infamia, exilium, mors toleranda forent, en paratum cor meum Deus, paratum cor meum, ut millies potius quàm te ô veritas negando, vel dubitando inhonorem, & quasi mendacii arguam dignare obsecro Domine per fidem habitare in corde meo, & per charitatem in eo mansionem facere, ut quod nunc video per speculum in enigmate, aliquando videam clarè facie ad faciem. O quando hoc erit! quando veniam & apparebo ante faciem tuam?

O quando tolles, ô lux mea, ô veritas, ô amantissime, JESU, velamen de oculis meis, & illuminabis me lux vera, ut videam vana hæc omnia, & mandata tua vera, & utilissima cognoscã! ô quantum tunc mirabor incredulitatem meam! adjura nunc precor illam, & adauge mihi fidem. omnia enim possibilia sunt credenti, imò & facilia; quid enim formidat in hoc mundo qui æterna timet & credit supplicia? quid sperat, qui gaudia semper-

Actus fidei,

Fortitudo
fidei.
Galat. 1.Cur credi-
bilia mi-
steria fidei,
Iacobi 3.Fidei firmi-
tas.Affectus
martyrii.

Ephes. 3.

1. Cor. 13.

Adspiratio.

Marci 9.
Credenti
omnia pos-
sibilia.

terna, & annos aeternos in mente habet? ambulat simplicitate coram te, & confidenter; quia credit in te, & quamvis mortuus foret operibus malis, vivet & iterum, insistet firma petra, tibi amantissime IESU, neque adversis spe premiorum, neque secundis timore gehennae commovebitur. Insistet etiam columna, & firmamentum veritatis Ecclesiae tuae.

Huic qui non credit, & in hoc N. vel illo N. Ecclesia tua non adheret veram fide, certe cecus est, est sicut erbnicus & Publicanus. Illa enim est civitas supra montem posita, & velut Pharos in naufrago mari. Nemo eam ignorare potest, nisi cecus, & in tenebris palpans haereseos, aut impietatis. Ego vero per gratiam tuam credo firmissime pro amore & reverentia, quam tibi habeo, & cecus te ducem, & in tenebris te lucem, & toto corde sequor, & te amo. Credo quidquid de te Deus meus revelasti, qui ubique es, & omne bonum mihi es, & per mandata tua illud mihi tribuere vis, ideo dilexi ea super aurum & topasium.

Ecclesiae
credendum.
Matth. 19.

Fides de
Deo uno.
Psalm. 118.

Fides de
Deo trino.

Vivae fidei
vis.

Aeternita-
tis confide-
ratio.

Effectus
fidei mor-
tuae.
Luc. 17.

Applicatio
ad Commu-
nionem.

Credo tibi, o Fili Dei, amor noster, quidquid de te Pater, & Spiritu sancto revelare dignatus es. credo iis, quae per Scripturam locutus es profiteor coram te, o Mater pulchra dilectionis, & veritatis, & coram vobis Angeli Dei mei, & omnes Sancti, coram te Rex regum qui es mihi via, veritas & vita, & amor, & omne bonum meum. O utinam hac sincere apprehenderem, & semper vive credidisset tibi, quo studio operatus fuisset salutem meam! qui viverem dum aeternitas impendet capiti meo, & subter me hiat aeternitas, aeternitas infelicissima. Duplici aeternitati vallasti me, in alterutram eundem, an sic ago, cogito, loquor tamquam si cervici haec impenderent meae, velut gladius anceps? an in aeternitate, in morte hic mihi sensus erit de hoc, & illo sicuti modo est: ubi es fides mea si non vivis? an credenti ulla difficultas, poenitentiae labor, dolor imo & tormenta? an credit quis te esse ubique, & ita nos amare, & non liquefcit amore? an credit te esse Iudicem, & adesse, & haec, & illa N. sic commendare, & mandare, & non timet? adauge ergo mihi fidem in omnibus, & maxime de dulcissima veritate, & suavissima charitate tua, qua vere te presentem in Venerabili Eucharistia sistis, mirabili quidem modo, sed supra modum credibili. Est enim memoriale mirabi-

mirabilium tuorum, est potentia & bonitatis tuæ monumentum, Quid sit
 quo charitas tua in ipso fonte degustatur, & vallis hæc lacry- ^{Euchari-}
 marum tolerabilior sit viatori, quem iste panis confirmat, & ^{stia.}
 vinum istud latificat. Adauge ergo mihi fidem, nam sine fide im-
 possibile est tibi placere, & id unum suspiro, ut scis, & peto, & ob-
 secro, ut tibi complacere in me, & sit hoc sacrificium meum cor-
 dis mei, & intellectus mei, sicut dies seculi & anni antiqui. Da ^{Malach. 3.}
 mihi fidem, & adauge illam, ut existimem omnia detrimen-
 tum esse propter eminentem scientiam tuam IESV Christe, pro-
 pter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut te
 lucrifaciam, & inveniar in te, non habens justitiam, quæ ex lege ^{Philip. 3.}
 est, sed illam quæ ex fide est, ô Christe IESV. Utinam confiteri
 te, & fidem tuam possem, & hanc veritatem N. ore, & factis ipsis ^{Martyrii}
 coram omnibus hominibus, & Regibus. Utinam pro tot hereticis ^{desiderium}
 & blasphemis, & impiis tibi benediceret mecum omnis creatu-
 ra, & fide humillimâ omnis spiritus laudaret te Domine IESV,
 & obmutescerent ora loquentium iniqua.

Ah utinam ego resarciam tunicam tuam, quam Arius & ^{Actus zeli.}
 eius similes gladio linguæ proscindunt! Utinam pro iis, qui te ode-
 runt ô veritas, ego te, sicut toto corde desidero, te impensius ama-
 rem, ut scuto circumdaret me veritas tua, & sub umbrâ alarum
 tuarum protegeres me, & quod unum peto, perfectè te noscerem,
 & amarem, & adhererem tibi, & unius spiritus essem tecum in ^{Hebr. 10.}
 æternum! Desiderium hoc pauperis exaudi Domine, & prepara-
 tionem cordis mei audiat auris tua. Amen.

IACVLATORIÆ.

Cum sine fide impossibile sit placere tibi, adauge hic N. mihi ^{Hebr. 11.}
 fidem. Iudicia enim tua verè justificata in semetipsa. ^{Lucæ 17.}
 Heu mihi, ô veritas, ô bonitas, ut quid dilexi vanitatem, & quæ ^{Psal. 4.}
 sivi mendacium, credo & in hac fide vivere & mori cupio. ^{Ioan. 9.}
 Quid faciam cum tu Domine ad iudicandum veneris, & fecisse ^{Iob. 31.}
 nunc vellem?

Sentite ait ille, de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis ^{Sap. 1.}
 quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum:
 apparet autem eis qui fidem habent in illum appare igitur mihi viva
 spes, & tota fiducia mea

Obsecro te, ô IESV, per charitatem tuam, da mihi fidem ut gra. ^{Matth. 17.}
 num

num sinapis, ut glorificem te Patrem meum, sicut illi Sancti tui
Martyres & Thaumaturgi.

Marc. 9.

Iacob. 2.

Sap. 3.

Si omnia passibilia sunt credenti, credo Domine hac N. gratia tua,
& sic ex operibus per gratiam tuam cupio ostendere fidem meam.

O quanti est apud te Domine meritò vera & viva fides: da mihi
fidei donum electum, & sortem in templo tuo acceptissimam.

Luc. 17.

Iohn 3.

Galat. 5.

O quando audiam fides tua te saluum fecit: quanto & tibi plene
resignatum erit cor meum, ut credens in te habeam vitam æternam!

Domine Iesu Christe Paulus tuus ait, neque circumcisio aliquid
valet, neque præputium, sed fides que per charitatem operatur. Credo
igitur, & amo toto corde, & adhaereo tibi o æterna veritas, tota anima
mea.

CAPVT LIII.

De affectu Admirationis & modo eum exercendi.

EXCITARI hic solet ex consideratione perfectio-
num diuinarum & mysteriorum Fidei.

Secundò ex consideratione peccati, miserix & vani-
tatis humanæ. Hæc enim duo, dum tibi opposita confi-
derantur, velut abyssum abyssus invocat.

Tertio Creaturarum liber magnam materiam admi-
rationi præbet.

3. Reg. 10.

Quartò beneficiorum Dei copia erga nos, & maxi-
mè Passionis Christi Domini; si enim Regina Saba vi-
dens sapientiam Salomonis, non habebat ultra spiri-
tum, quid faciat anima quæ videt vitam pro se morien-
tem? nota autem omninò conuenire, ut ex unâ admi-
rationis causa oblata, ingrediatur anima in potentias
Domini, & progrediatur ad alia admirabilia eius.

Exercitium breuius Admirationis.

Psal. III.

QUIS sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, &
humilia respicit in celo & in terrâ? O quanta Majestas! o
quanta benitas, quanta potentia! O quanta benignitas erga me,
qui verè sum vermis & non homo, & vapor & nihil. Quicquid
video vel audio, magnificentiam sanctitatis tuæ loquitur mihi,
& narrat mirabilia tua. Verè exclamat Apostolus Deum divi-
tem in misericordia, & nimia charitatis, qui cum essemus mor-
tuis